

CIVIBUS SUIS NASSOVIENSIBUS

S. P. D.

FRID. TRAUG. FRIDEMANN.

Juvat interdum, Cives, ad primordia rerum nostrarum redire et inspicere in vitam eorum hominum, qui diu ante nos eadem loca incoluerant, quae nos nunc tenemus, et qui eadem vitae tuenda ornandaque negotia, quibus hodie nos operam damus, in sese receperant. Hujus autem sive studii sive officii multiplex est fructus. Nam qui rudem vetustatem non uno modo superare nobis videmur, saepius vel institutorum sapientia, vel patientia laboris, vel morum frugalitate, vel aliarum virtutum exemplis adeo praeter opinionem oblectamur et in admirationem abreptos nos sentimus, ut facile patiamur nostram famam majorum nobilitate obrui, aut, vere si quid prodesse saeculo nostro censemur, ad modestiam compellamur et ad communis operis perficiendi constantiam. Quo major autem hac nostra aetate rerum antea gestarum solet esse oblivio novandiique omnia insatiabilis quaedam cupiditas, et quo plures ea veluti peste infectos videmus homines, vel pravitate insignes, vel consilii expertes; eo vehementius niti decet, ne, quod multi et sperare et efficere audent, cum majorum nostrorum memoria simul abjiciatur omnis iurium antiquorum sanctitas et institutorum diurno usu comprobatorum reverentia. Sed quia animo cupienti, ut *Sallustius* habet Jug. 64., nihil satis festinatur, coecum adversus dominantes odium et in multitudinem effusa adulatio adolescentium animos falsa libertatis specie *) incendere studuit, eos

*) Si servitus est obedientia fracti animi et abjecti et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes denique improbos, esse servos? Cic. Parad. V, 1.

que, quippe in praesentia pronos, et futurorum non curiosos, ad summa scelera propulit. Atque, quo certius cereas flecti in utramque partem mentes allicit, veluti Voluptas Herculi juveni in bivio versanti, et utram vitae degendae viam eligat*) dubitanti, pro labore pollicentur jucunditates, protisti obsequio dulce imperium, pro paupertate et continentia opes et honores, denique pro pudore licentiam, pro honestate et prudentia dexteritatem quan-dam et vasritiam substituunt, pessimarum artium matrem. Ita mutatis fere ipsis rerum nominibus fieri non postest, quin omnia misceantur et pervertantur. Nam semel avocatis puerorum animis a liberali litterarum studio in lucri quaestusque auecupium, nihil non ad sordidam mercedis spem referre incipiunt et simul ab ipsa virtute honestissimaque rerum externarum despiciens abhorrere**). Qui vero his avaritiae sordibus inquinati sunt, nec doctrinae verae dedere sese possunt, quae plurimum abesse debet a malo lucri odore, nec in rebus publicis gerendis recte versari, in quibus laboris et molestiarum devorandum est plurimum, non solum infimis, sed, ut nunc sunt tempora, etiam summo in loco positis. Quotiescumque enim in pejus ruebant mores temporum, adolescentium studia ab ingenuis artibus et humanitate et sapientia ad tenuem vitae usum ipsumque paene victum quaerendum depressa sunt. Cujus rei permulti scriptores sunt testes. Ex Graecis est afferendus *Aristophanes*, qui in Nubibus veterem disciplinam ipsorum parentum molitie depravatam ostendit, in Pluto reliquae vitae turpitudines, in Equitibus aliisque fabulis rerum publicarum administrandarum perversitatem perstrinavit, in primisque τὸν Ἀγριον *** ita depingit, ut pleraque ad nostrae actatis turbas aptissime convenient. Testes sunt etiam *Plato* aliqui, quos recensere longum est et ab hoc loco alienum. Ex Romanis autem praeteriri non

*) Conf. *Cic. de offic.* I, 52 et quae attuli in orationibus patrio sermone habitis (deutsche Schulreden) et a. 1829 Giessae editis pag. 293.

**) „Nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias; nihil honestius magnificientiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.“ *Cic. de offic.* I, 20.

***) Pinxit hunc etiam Apelles. Conf. Stuttg. Kunstblatt a. 1820, Nr. XI, p. 43.

potest *Horatius*, qui multis locis*) Graecos, veteres illos dico et genuinos, *praeter laudem, nullius avaros* fuisse, Romanos pueros pro poetarum lectione arithmeticam addiscere, acerbe conqueritur. Nec minus recte de sua aetate *Livius* (pref. §. 9.) scripsit: *haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus.* Nuper autem exstitit nostri temporis aestimator**), severus quidem ac gravis, sed veri studiosus et a rerum omnium cognitione instructissimus, qui nos ne cernere quidem vitia nostra posse ac velle dixit. Etsi vero ego, ut *Tacitus* auctor est *Hist. I, 5.*, adeo virtutum sterile saeculum non puto, ut non et bona exempla prodiderit; tamen, ne quid dissimulem, in summa illa accelerandi omnia agitatione, quae alas addidit navibus curribusque, cavendum est, ne multa virtutum semina simul conterantur praepropere, praesertim quum non ad liberalem animi cultum, sed ad lucrum augendum et ad eas artes omnia referantur, quas *sordidas* appellabat Romanorum severitas, et communi nomine αἰσχροκερδεῖς Graecorum notabat elegantia***). Multo aliter statuebat *Archimedes*****),

*) A. P. 323 sqq. Epist. II, 1, 103 sqq. II, 2, 41. Sat. I, 6. 72 sqq.

**) Is est *Frid. Guil. Tittmannus*, Ictus, natione Saxo, qui duobus voluminibus editis cum scholarum instituendarum rationem, tum vitae totius publicae privataeque statum, quasi aliquis vates, in dies deteriore fore praesagit. Quae quum ita scripta sint, ut nemo sanus refugere, sed potius accedere debeat proprius, et quasi in aliquod speculum introspicere, accurati posita inscriptione lectores, si forte potero, alliciam: 1) »Ueber die Bestimmung des Gelehrten u. s. Bildung durch Schule u. Universität.« Berol. 1833. 2) »Blicke auf die Bildung unserer Zeit und auf Wissenschaft und Kunst der Bildung.« Lips. 1835. Cf. *Ancillon* zur Vermittel. der Extreme in d. Meinungen Berol. 1828.

***) Romani, quos non una in re duces et habuimus et habemus, mira sagacitate id egerunt, ut, quamvis multas artes in servilibus negotiis ponerent, agriculturae tamen rusticaeque vitae laudes praedicare non desinerent, sive pertaes urbana et bellica officia, sive, quod verisimilius est, in ea vitae vere humanae, reique publicae tranquillae et bene ordinatae, firmissima praesidia et ornamenta dulcissima quaerentes. Conf. quae his de rebus praeclare disputat *Cic. de Off. I, 42.*

****) *Plutarch* vit. *Marcell. c. 17.* Τηλικοῦτον φρόνημα καὶ βάθος ψυχῆς καὶ τοσοῦτον ἐπέκτητο φεωρημάτων πλοῦτον Ἀρχιμήδης, ὡστε, ἐφ' οἷς ὅνομα καὶ δόξαν οὐκ ἀνθρωπίνης, ἀλλὰ δαιμονίου τιὸς ἔσχε συνέσεως, μηδὲν ἐθελῆσαι σύγγραμμα περὶ τούτων ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ τὴν περὶ τὰ μηχανικὰ πραγματεῖαν καὶ πᾶσαν ὅλως τέχνην χρεῖας ἐφαπτομένην ἀγεννῆ καὶ βάρανσον

in quo nondum quisquam eorum, qui post eum fuerunt, artis suae praeclaram scientiam desideravit. Nunc autem quum clamant et declamitant, *res* rerumque peritiam parandam, *vitae* que discendum esse, non scholae, quid sit *vivere* et quae sint *res* hominum praestantissimae, videre vix videntur, sed unam *rem* quaerere, quam nemo sapiens facile dixerit summam, ne ipse quidem ille, quem attuli, paganus mathematicus. Atque sollicitum hoc ac paene aestuosum rerum discendarum studium, verborum odium, in eum errorem quosdam conjectit, ut scholarum magistros, qui graecos ac latinos scriptores adolescentibus explicant, cum rerum scientiam tum patrii sermonis usum negligere criminentur*). Verumtamen peregrinis demum, et antiquis illis quidem, linguis descendis noster ipsorum sermo melius et intelligitur et politur, nec summorum illorum scriptorum opera, accurate si vis versari, explicari possunt, nisi multiplicem rerum scientiam assumseris, nec prisca tempora recte perspiciuntur, si recentissimorum spreveris cognitionem. Sed hujus erroris et origines et remedia alibi exponere et ad rectam rationem dissentientes revocare soleo **); quamobrem redeat, unde deflexit, oratio.

Hoc igitur anniversariis gymnasii solemnibus praefandi officio, postquam ad me rediit, melius fungi me non posse existimavi, quam si, quae olim fuerit ludi nostri forma, quae fata, ipsis majorum verbis narrarem. Ita enim pietati potest satisfieri, quae est justitia et voluntas grata erga deos, magistratus, parentes et bene de patria meritos, et diligentiae, quae,

ἥγησάμενος, ἐς ἐπείτα καταθέσθαι μόνα τὴν αὐτοῦ φιλοτιμίαν, οἵς τὸ καλὸν καὶ περισσὸν ἀμιγὲς τοῦ ἀναγκαλου πρόσδεστιν. Conf. etiam quae sequuntur.

*) Ab hac temeritate eos et nunc procul abesse et olim absuisse, testantur cum ipsi eventus, tum disertae virorum clarissimorum voces et exempla. Sic Jo. Aug. Ernestius in praef. edit. Opp. Cicer. de se ita scripsit: «Profecto, si nihil aliud e graecorum latinorumque auctorum lectione commodi exspectari posset, aut ea summa esset utilitas: fateor, me, quem dicunt latine posse scribere, fateor, inquam, me hodie omnes auctores latinos abjecturum esse.» Cf. quas edidi in adolescentium usum collectas, Paracnes. Vol. I. p. 155.

**) Conf. «Beiträge zur Vermittelung widerstrebender Ansichten üb. Verfass. und Verwaltung deutscher Gymnasien.» Weilburg, 1832. Vol. I.; 1833. Vol. II.; 1836. Vol. III.

quidquid accepimus, pro viribus emendatum et perfectum tradere nos jubet posteris *). Etsi autem, ut *Livius* ait, (praef. §. 4.), *legentium plerisque, haud dubito, quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint*, quippe et nominum claritate carentia, et sive temporum injuria sive scribentium culpa obscura, ipsisque locorum angustiis tenuia; tamen, ne aut ipse sanctissimo officio deessem, aut nimium aequalibus diff. de rem, faciendum putavi, ut, quae decessores conscripsissent de gymnasii nostri incrementis, partim denuo, partim primum evulgarentur. *Cramerus* enim, ut erat sedulus in annotandis iis, quae ad res suas gerendas pertinerent, *Schlosseri* narrationem usque ad sua tempora deduxit et, ut appareat ex forma voluminis in tabulino scholae servati, publico usui exponere voluisse scripta videtur. Hoc igitur nunc sit, nec, ut spero, sero fieri dicetur. Quamquam autem dolendum est, quod nec rerum quovis anno tractatarum accurata fit mentio, nec ratio docendi commemoratur, nec libri, quibus usi sunt magistri ac discipuli, indicantur, sed circa praceptorum personas plerumque narratio

*) Praeclare dixit nuper *A. Boeckhius*, V. Cl., in ea oratione, quam quotannis habere solet in academia Berolinensi, a. 1833, p. 15. »Quicunque scientiae operam dant, eorum otio honestissimo hoc injunctum est praeciarum negotium, ut praestent ea, quibus augatur publica et privata salus. Quod primum fit conservanda optimarum rerum memoria, quas prior tuliterit aetas: quam memoriam qui aboleat vel negligat, quod tollit eam cognitionem, cui nostra vitam debet, videtur mihi quasi parricida esse: dein solum illud, quod nobis haeredibus reliquerunt parentes, novo labore est colendum et exercendum, ne fiat sterile, et ex eo nova generanda sunt. Harum rerum altera historicae in quoque genere eruditio[n]is est, altera meditationis rationalis. Utraque vero nobis magistris ita commissa est, ut nostrae scientiam aetatis viri tradamus adolescentibus futurae aetatis doctoribus: nos jacimus semina; fructus maturos vix videmus. At si recte animati sumus, sic informabimus discipulos, ut progrediantur ultra, quam profecimus ipsi: atque ut veteri utar verbo, quando fessi annis, quemadmodum apud Graecos in gymnasiorum ludis, taedas ardentes integro trademus cursori, quid mirum si ille novum ingressus curriculum velocius decurret, quam nos defatigati? Spartani pueros suos jusserrunt in publica solemnitate polliceri carmine, fore sese aliquando multo fortiores iis, qui tum excellerent fortitudine: ita superari nos a succedentibus quidni patiamur haud inviti? Hac via mens et ratio emergit victrix, crescit virtus, et formatur genus humanum ad finem sibi divinitus designatum.»

haeret; non contemnenda tamen ubique eluent virtutes pietatis, modestiae gratissimique erga Deum et principes et beneficiorum auctores animi, quae lectorem teneant, et, si non limatissimo dicendi genere, certe simplicitate, allicant, et doctrinam ostendant, ut tunc erant tempora, non prorsus vulgarem et inelegantem. Quas res, quantum patiuntur manca litterarum monumenta nobis servata, *G. N. Eichhoffius*, V. Cl., collega olim noster, denuo spem fecit se perscripturum planius, postquam duplex edidit operis futuri specimen *). Quidquid autem id est, quod hoc loco e tenebris armiorum protractum editur, ut bona cum venia legatis, *Cives*, etiam atque etiam rogo.

Superest, ut vos alloquar, Discipuli, quorum commoda mihi et haec et alia meditanti, scribenti, agitanti semper ante oculos versantur. Nostis autem, quam saepe ego vos hortari soleam, et ansam vobis materiamque praebere, ut majorum vestrorum historiam, abundantem illam optimis vitae doctrinaeque exemplis, accurate cognoscatis, et inde studiis vestris incitamenta petatis, cum per se honorifica, tum vobis ipsis utilissima, non solum ad haec adolescentiae oblectamenta ornanda, sed etiam ad juvanda maturioris aetatis officia gravissima. Inprimis meministis me saepius vos jubere vitas hominum clarissimorum cognoscere et ex iis quasi quandam ducem **) eligere, ad cuius exemplum vestras res omnes ita referatis, ut nec consilio careatis, nec, si opus fuerit, solatio ***)). Nam etsi verissimum est, quod Graeco-rum ****) proverbium habet, *Oὐ πειρῶς ἀρδόσ εἰς Κόρυθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς*,

*) a) „Geschichte des Gymnas. zu Weilburg.“ Progr. gymn. a. 1813 et a. 1817. b) „Gesch. der Kirchen-Reformation in Nassau-Weilburg.“ Weilb. 1832. ap. Lanz.

**) Suadet hoc in primis etiam *Seneca Epist. 2.*

***) Eam in rem edidi non solum „Vitas hominum quoque litterarum genere eruditissimorum ab eloquentiss. viris latine scriptas et juvenibus liberalior. ingenii tanquam discendi et dicendi exempla propositas“ (Brunov. 1825. 2 voll.), sed etiam, quae quovis sermone composta quotannis in hoc genere prodeunt et idonea videntur, latius expono in „Handbiblioth. der vorzügl. Schriften über philol. u. allgem. Studien.“ Ed. 2. Lps. 1835. §. 5. p. 17. sqq.

****) Ap. *Strab. L. VIII. p. 381. A. ed. Casaub. Horat. Epist. I, 17, 56. Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

nec vos ea lege nati estis, ut omnes maximis negotiis praeficiendi videamini, nihil secius tamen, utut breve et angustum dederit Deus vitae curriculum, ubique licet ostendere ingenium et doctrinam, curam et industriam, ubique integratatis, modestiae virtutumque leniorum omnium laudem comparare. Neque enim, si lata et ampla gloria negata fuerit, ideo magnam solidamque ex opere bene administrato quaerere non poteritis: quia plurimum refert, non, quid feceris, sed quam bene. Maxime vero circumspiciendum esse vobis puto, num quid in annalibus patriae reperiri possit, quod animos vestros advertat, sive ad imitationem, quae facile in mores transit, totos vos dederitis, sive etiam ad investigationem et scriptionem: nam utrumque, si *Sallustium* *) audimus, honestum est et gloriosum. Habetis autem, Adolescentes optimi, Principum Serenissimorum eorumque virorum, quorum beneficia quotannis carminibus, orationibus, cantibus celebratis **), vitas et facta ipsorum verbis exposita, eorumque imagines iconicas, non solum pietas in porticu contemplamini, sed uberius nunc litteris perscriptas intuemini. Accedit, quod Principis nostri Serenissimi egregius in vos et studia vestra amor hoc ipso anno ex pinacotheca sua addi coronae isti jussit avi illustissimi, *Caroli Christiani*, qui has amplissimas aedes, in quibus quotidie convenitis, ante quinquaginta fere annos condidit, imaginem, tanquam testem praesentissimum generis novi in spem patriae indies succrescentis. Agite igitur, et, quantum potestis, intendite nervos, ut et majoribus digni sitis, et adjumentis studiorum largissime undique concessis recte utamini. Decurrunt vobiscum idem landis stadium multi in Germania adolescentes, extenduntur ubique gymnasiorum fines, corriguntur mores, emendantur disciplinae, incrementa capiunt litterae, proponuntur praemia, carentur errores diligenter, et ad veram salubritatem omnia revocantur. Praeterea apud ex-

*) Catil. 2. «Pulcrum est bene facere rei publicae, etiam benedicere haud absurdum: vel pace, vel bello clarum fieri licet: et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur.»

**) Cf. quae in peculiari oratione: «Gedächtnissrede zur Jahresfeier der Stiftung des Herz. Nass. Landes-Gymnasiums» (Weilb. ap. Lanz. a. 1853) memoravi et in annotationibus additis p. 25. ex *Eberti* et *Savignyi* scriptis de capiendo ex historia litterarum fructu attuli.

teros quoque sunt, quos praeclara cum veterum tum etiam novorum exemplorum ac praeeceptorum copia vobis commendat, Batavos dico, non solum antiqua Arausionensium Principum gloria et consanguinitate cum Nassoico Germaniae populo conjunctorum, sed etiam recenti rerum hominumque memoria. Ex quibus, quae per totum orbem celebrantur et tanquam hortamenta proponuntur juvenibus, nomina *Hemsterhusiorum*, *Gronoviorum*, *Valekenariorum*, *Ruhnkeniorum*, *Wytenbachiorum* aliorumque permultorum, quid mirum, si ad vos potissimum pertinere saepius saepiusque^{*)} moneo, quaeque ibi geruntur et dicuntur laudabiliter, quantum quidem in aetatem vestram cadit, non interdum, sed omni tempore, repetere, ante oculos ponere et in ipsas manus dare studeo? Ubique enim per totam Europam cultiorem, in primisque in Batavia, hoc sibi propositum habent gymnasia, ut, quod est apud Horatium et quod ego ante aliquot annos^{**)} vobis explicare studui, *sapere et fari* discant adolescentes. Haec igitur omnia cogitate et penitus mentibus vestris insigite, ne quid, quod usui vobis esse possit ac debeat, turpiter neglexisse videamini. Valete. Ser. Weilburgi, Id. Jan. a. 1856.

*) Sic meministis ad vos me afferre nuper *Heusdii*, docti adolescentis ac docto patre natī, librum *de Gulielmi Ludovici Nassavii vita, ingenio, meritis, docte eleganterque scriptum* (Traj. ad Rh. 1855), et patris epistolam ad filium datum commendare, potioresque locos recitare. Ex quibus juvat hic adscribere illustria quadam verba et vobis, si bene reputaveritis vobis, magnopere profutura: p. IX. Quod quis matura aliquando aetate praecclare peracturus est, id adolescentis et studuisse et tentasse et vero naviter se in eo excusse debet: est enim adolescentia, ut ajunt Veteres, ad virtutes omnes aptissimum, imo unicum, δρμητήριον. p. XI. Interest patriae, interest omnium, qui bene de ea mereri cupiunt, non negligi ejus historiam virorumque, quos edidit, magnorum memoriam, sed instaurari ac celebrari, ut sciant posteri, quibus e majoribus orti sint, et habeant iidem, quos in rebus gerendis imitentur ac sequantur. Nec temere contendere videmur, talem nostrae in primis aetatis indolem rationemque esse, qualis maxime sit ad patriae historiam conscribendam idonea. Cf. quae de Batavis dixi in progr. a. 1851. p. 20. sq.

**) Cf. orationem latinam in encaeniis gymnasii a. 1850 habitam et a. 1851 programmatis scribendi occasione oblata editam p. 8. sqq.

I. F. CRAMERI PRÆFATIO.

Quemadmodum, crassissima longe lateque grassante barbarie, credibile est, *Weilburgum* paribus obductum fuisse tenebris Cimmeriis: ita e contrario renitescente litterarum studio non prorsus alienum a *Musis* mansisse videtur. Neque enim adeo est aut saltuum densitate, aut altitudine montium involutum, ut luculentissimi illi, qui totam, quanta est, Germaniam collustraverunt, doctrinae radii omni vi sua eo non potuerint penetrare. Quae res quidem ut est omnino vero simillima, ita nec indubio destituitur argumento, quod ut ex obscuro in lucem proferatur, non indignum videbitur. Fuisse autem jam ante sacra repurgata sub papatu scholam latinam, fidem facit *Daniel Greserus*, primum Canonicus capituli *Weilburgensis*, deinde *Vicarius* ad aram visitationis Mariae, tum *Sacerdos* et *Curatus* parochiae *Edelsbergensis*, postea opera *Erhardi Schnepfi*^{*)} e Pontificiorum castris ad castra *Lutheranorum* perductus pastor *Gisae*, tandem *Superintendens Dresdae*^{**)).} Scripsit ille vitam suam libello quodam^{***)} ad integranda reformationis acta perutili, in quo memorat, se *Weilburgi* natum, puerum frequenter scholam ibidem, doctumque esse Grammaticam *Alexandi de Villa Dei*. Confirmant etiam documenta quaedam archivalia, eaque satis authentica, floruisse paullo ante institutam reformationem hic scholam latinam. Non parvus supplicum libellorum numerus in nostro reconditus asservatur grammatophylacio, a ludi moderatore quodam *Ioanne Orthio*, Herbornensi, exhibitorum, qui inter reliquas lectiones suas etiam latinae linguae meminit.

^{*)} *De Schnepfio v. Eichhoff. hist. reform.* p. 17, 27. sqq. (*Fr.*)

^{**)} *Vitam Greseri copiosius scripsit C. D. Vogel*, V. Cl., in *Archiv d. Nass. Kirch.- u. Gelehrt. Gesch.* (*Hadam. 1813*) Vol. I. p. 225 sqq. (*Fr.*)

^{***)} *Historie und Beschreibung seines Lebens.* *Dresd. 1587.* (*Fr.*)

Hic vero, tametsi capituli Decanus, misere tamen habitus sua sanctae Margaretha Vicaria vitam toleravit suam*). In moderanda vero schola, in qua suam trivit et consumsit aetatem, maxime Domini HENRICI usus est consiliis.

A facta vero reformatione publicae hic sistitur luci ea scholae Weilburgensis historia, quam dignissimus ejusdem olim rector, Vir plurimum reverendus, *Iohannes Nicolaus Schlosserus*, historiae Gymnasiorum scholarumque celebriorum *Godofredi Ludovici* (Lips. 1714. P. IV. p. 58 sqq.) inseruit. Quae quum in paucissimorum sit manibus, non dubitatum est, eam totam absque ulla plagii suspicione exscribere, interpolatis tamen, quae subinde quaerenti occurserunt supplementis, quae discriminis causa inclusa sunt his uncis [].

I. N. SCHLOSSERI NARRATIO.

Cum anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto *Erhardus Schnepfius*, fidelis parastata Lutheri, et ab ipso hue commendatus, et eius in comitiis Augustanis anno millesimo quingentesimo trigesimo tantum non potissimae inter Theologos partes fuerunt, (utpote de quo judiciosissimus *Hieronymus Baumgartnerus* ad *Lazarum Spenglerum*, Noribergensem, scribit: Der einig Schnepf hat noch einen Schnabel, Christlich und beständig zu singen etc.) a Pontificio fermento, Deo dante, Weilburgensem comitatum repurgasset primus reformator, misera erat scholae Weilburgensis facies »sub porcis Trevirensibus« uti idem *Schnepfius*, in epistola ad *Henricum Romanum* **), concionatorem aulicum Comitis *PHILIPPI*, Nassoici, capitulares Weilburgenses et vicinos monachos coenobii Pfanstielensis, qui ad Trevirensim dioecesin pertinebant, nominat. Nam *Ioannes Orthius*, Herbornensis, non nisi privatum per sedecim annos juventutem Weilburgensem docuit.

*) *V. Eichhoff*. l. l. p. 18 sqq. (Fr.)

**) Cf. *Eichhoff*. l. l. p. 25 sqq. Nimurum haec et alia tum solebant scribi, quum summa partium contentio arderet, nequum hujus nostrae aetatis humanitate mitigati essent animi et ad eam, quae maxime decebat Christianos, lenitatem compositi. (Fr.)

Anno demum 1543 **M. Jacob Charisius** primus rector vel preeceptor publicus constitutus *) est, [et mansit usque ad MDLX., inde usque ad MDLXXII. Superintendens], cui collega dabatur a. 1548 quidam **M. Bartholomaeus [Bergner]**, quos suis sumtibus aluit comes **PHILIPPUS**, Nassovius Weilburgensis, sub quo reformatio cooperat. [Fuit vero et uno ante anno, scilicet millesimo quingentisimo quadragesimo secundo, scholae hujatis rector primus **M. Jacobus Syringus**, Wildungensis Waldeccus, qui eodem, quo scholae rector preefector est, anno MDXXXXII., tanto scholae, quantumvis frequentis amplius C. discipulis, in quibus complures numerabantur nobiles, attamen qualis est rerum etiam optimarum origo, frivola, quod ad aedes pertinet, succubuit oneri vir vere doctus, quem vel in munere scholastico retinere, vel ad consilia aulica promovere illustrissimus comes magnis studuerit muneribus. Donavit enim ei prata et dumeta Schellhosia, eo fine, ut permoveret illum ad permanendam aetatem suo in ministerio. Collegas habuit hic primus regens liberae, quam instituit, scholae, **Ioannem Orthium**, Herbornensem, et **Bernhardum** quendam, quorum hic conqueritur de dupli onere et scholastico et ecclesiastico, non modo in Pfaffenstiehl, sed et alibi vicorum, ut Edelsbergae, obeundo, alterum tantum horum deposcens sibi. Post prae-matura **Syringi** fata anno aerae Chr. MDXLIII. **M. Jacobus Charisius** rector constitutus est].

Anno R. S. MDLIII. post eliminatum iterum e comitatu nostro monstrorum illud interim, quo invecto denuo praedominati fuerant Trevirenses, invenio **Petrum Weilnau**, ejus pater, **Jac. Weilnau**, Decanus pontificius capituli Weilburgensis fuerat, preeceptorem constitutum sumtibus capituli, sed jam repurgati, et anno MDLX **Philippum Bier**, comitis stipendiarium, collegam et adjunctum fuisse. Et ab eo tempore nomina potius, quam designationem temporum, aut distinctionem officiorum, aut descriptionem personarum, aut aliud quidquam rerum gestarum invenio. Obtulere se mihi hinc illine quaerenti **M. Conrad Flickius**, **M. Albertus Frensius**, **M. Eras-**

*) Cf. Eichhoff. I. l. p. 18. 69. (Fr.)

mus Reinhardt, Michael Pausus, M. Philipp Stippius, unde neque affirmare ausim, quid sit tunc quidem praestitum.

[In annalibus*) ecclesiasticis ecclesiae Rhodanae ad Villam legitur *Conradus Heisterus*, Usingensis, qui octennium ab anno MDLXVIII rectorem scholae Weilburgensis egit. Ibidem M. *Conradus Fliccius*, Michaelstadiensis, ex comitatu Erbacensi, ab anno MDXCVII. ad festum Catharinae anni MDG rector scholae Weilburgensis fuit, postea vocatus ad rectoratum scholae Ursellanae in comitatu Koenigsteinensi. Tandem ^{11/21} Aug. ab officio remotus est per Moguntinum, romanis abominationes tunc ibi invehentem **). Hinc iterum ad rectoratum scholae Weilburgensis vocatus mandato comitis *Ludovici*, a Superattendente Domino *Laurentio Stephani****) d. 15. Martii coram ecclesia Weilburgensi ordinatus, et dom. Exaudi ecclesiae Rhodensi praesentatus per dictum Superattendentem Stephani et dominum *Jacobum Frenzelium*, quaestorem Neo-Weilnavensem, anno MDCVIII, MDCXVII. vocatus Usingam ****)].

Nec fortassis multum ad scholae Weilburgensis incrementum profuit, cum *LUDOVICUS*, comes *Nassovius*, qui comitatum Weilburgensem et Idsteinensem, quem majores ejus, posteri imperatoris *ADOLPHI Caesaris*, cis Rhenum possederant, cum Saraepontano et Saarwerdano ultra Rhenum sito, felici haereditate conjunxerat, amplum multarum classium Gymnasium exisset Saraeponti, in patria mea, ibique ordinarie dein aula esset a Weilburgo nostro remotior. Circa initium tamen superioris saeculi rectoratum

*) Verba ipsa a me inspecta et enotata haec sunt: «*Conradus Heisterus*, Usingensis. Ab anno 1568. rectorem scholae Weilburgensis egit, postea 1576 ad ministerium ecclesiae Neoweilnaviensis accessitus est; tandem, tanquam emeritus miles, ecclesiae Rhodensi a. 1595 die 16 Novembris commendatus. Vitam finiit Rhodi die 11 Febr. 1609. Ante altare exuviae terrae sunt mandatae.» (Fr.)

**) Cf. *Eichhoff*. l. l. p. 89, ubi *Flicci* epistola latina ponitur de his rebus ad amicum scripta. (Fr.)

***) De hoc viro cf. *Eichhoff*. l. l. p. 116. (Fr.)

****) Ipsa haec sunt verba, quae reperiuntur scripta in libris chronicis ecclesiae Rhodensis a me inspectis, nisi quod pro quaestore est *pastor*, et in fine additur: *se recepit*. (Fr.)

Weilburgensem gessit quidam Philosophiae et Medicinae Doctor **Henricus Noldius**, Chymiae et Chrysopoeiae studio deditus, cui socias praebebat in schola manus **M. Eberhardus Hesperger**, qui ambo, eodem adhuc Ludovico comite superstite, utpote Saraeponti demum mortuo anno **MDCXXVII.**, attigerunt initia belli tricennalis Germanici. **Hesperger** enim mortuus Weilburgi anno **MDXXI.** **Noldium** nescio quo sua fata traxerunt. In nostri coemeterii parte ea, quae a statua Christi crucifixi dicitur sancta crux, relicum habet infantem, qui in cippo sistitur fasciis involutus. Fuit et **M. Henricus Eberhardi**, Pfaffenwischacensis in comitatu Koenigstein, collaborator scholae per **II.** annos et semestre, introductus exeunte anno **MDCXV** per pastorem Grevenwischacensem, ob valetudinem superintendentis **Stephani**, past. Lochnbergae.

Tum tamen temporis aliquod nomen habuit schola nostra, ad quam etiam aliunde discipuli mittebantur, inter quos quoque fuit **Io. Philippus a Schoenborn**, ille quondam celeberrimus tot lustrorum Archiepiscopus et elector Moguntinus, et episcopus Herbipolitanus et Wormatiensis. Secuti sunt, bello tricennali jam latius grassante, rector **Joh. Phil. Faber**, **Hespergeri** gener, et **Joh. Casimirus Steinmetz**, gener **M. Conradi Victoris**, Gissensis; inde quoque **Wilhelm Hellius**, pastor deinde Essershusanus et Langebacensis, et Rhodanus ad Villam [mortuus **MDCL.** d. **XXIII.** Dec.] Tricennalibus vero flammis ingravescientibus et pleraque depascentibus, cum **Ludovici** comitis filius, **ERNESTUS CASIMIRUS**, cui comitatus Weilburgensis in tripartita haereditate cesserat, per **XIII** annos exsulare cogetur Mediomaticibus, et Weilburgum nostrum spelunca potius vagorum praedonum, quam illustris sedes comitis Nassovici esset, credibile non est, Musas habitasse cum Harpyiis*). Post pacem tamen postliminio Germaniae restitutam et **ERNESTUM CASIMIRUM**, comitem Nassovium, ad suos reversum jamque dispersos congregantem, scholae praefuit [anno **MDCXLVIII.**] **Johannes Reinhardus Medicus**, Gissensis, usque ad annum **MDCL**, non amplius duobus annis, post pastor Strinzii Trinitatis in dynastia Idsteinensi,

*) Cf. quae supra p. 12. annot. ** exposui. (Fr.)

tum Cubaci ad Vilburgum, tandem Brandoberndorfii in praefectura Cleeburgensi, natus anno **MDCXX**, denatus anno **MDCXCV**. *Medico* successit *Conr. Schlueterus*, et huic ipsi *Ianus Chytraeus*, qui, nescio quo fato, clam fere se subduxit officio; *Slueterus* pastor vocatus est in ditio-
nem Wetteraviam castri Friedbergensis. [A. 1654 illustris scholae Weilburgensis moderatores fuerunt, ut ipsi in impresso epithalamio ad vota se-
cunda *Io. Caspari Georgii*, inspectoris Weilburgensis, se nominant, *Ianus Chytraeus*, se ita subscribens: «humanitatis studiosus, p. t. rector Weilburgensis; *Joh. Simon Cremer*, Licha Wetteravius scholaeque Weilburgensis p. t. conrector; *Johann Peter Beutler*, scholae Weilburgensis collega tertius.» Tum Hohenweisel in Wetteravia rectorem scholae dedit *Henricum Christophorum Kirchnerum*, qui 1656. post Petri cathedram a
rectoratu legitime vocatus est pastor Essershausen et Edelsbergae, exami-
natus ab inspectore *Io. Casparo Georgi, Pampone*, pastore Loenbergae, et
Lud. Beutlero, pastore Cubacensi]. Successere [*Io.*] *Henricus Wraxius*,
rector, [qui 1659 duxit Annam Elisabetam, relictam a pastore Langenbacensi
Wilhelmo Hellio filiam] et *Johannes Casparus Georgii* [1660] conrector;
Wraxio vero circa annum **MDCLXII**. ad parochiam Neo-Kirchanam in
finibus silvac Westriacae abeunte, *Io. Casparus Georgii* rector renunciatus,
et *David Hellius* conrector ei additus est; ille tamen paullo post pastor Cu-
bacensis et hic rector.

*Io. Casimirus Weinrichius**) vero, Loehnberga - Nassovius, anno
MDCLXIV. conrector vocatus est, et jam iterum laudabilis cooperat
scholae esse status. Anno **MDCLXVII**, cum *Hellius* suo quondam col-
legae, *Casparo Georgii*, Cubaci demortuo, substitueretur in pastoratu Cu-
bacensi [et diaconatu Weilburgensi], idem *Weinrichius* rectoratum degere
jussus, collegam conrectorem nactus est pridie Id. Nov. *Io. Burchhardum
Müllerum***), Usinga-Nassovium: et hic demum ventum est ad tempus aetati
meae proprius, quo facilius affirmem aliquid de scholae statu, non auritus

*) Ejus imago exstat in porticu gymnasi. (*Fr.*)

**) Hujus etiam imago ibidem superest. (*Fr.*)

modo, sed oculatus testis. Egregii hi erant viri, et praesertim in graeca lingua docenda excellebat *Weinrichius*, Müllerus vero etiam in philosophia, poësi et latinitate. Vix autem cooperant collegae amicissimi fidelissime cooperari, cum anno MDCLXVIII Dominica Palmarum *Weinrichius* evocato ad inspectionem Kirchheimensem M. Ioanni Frechio pastor succederet Weilburgensis, invitus fere, manente quidem penes eundem rectoratu, sed ita, ut vix septem amplius per septimanam horas scholasticae informationi impendere posset, toto fere laboris scholastici onere in *Müllerum* residente, quod fortiter tamen et masculine in duodevigesimum annum, non sine largo discipulorum fructu, sustinuit.

Interim tamen cum anno MDCLXXV, XIII. Cal. Octob. FRIDERICUS, comes Nassovius, scholae amantissimus et litteratorum fautor, qui et anno MDCLVIII. rectoratum academie Heidelbergensis magnificentissime gesserat, beata morte e vivis evocaretur et de suscipienda tutela Illustrissimorum Pupillorum lites et subinde aliae atque aliae molestiae in comitatu nascerentur, sub quibus onus scholasticum, Muellero potissimum incumbens, premere coepit humeros ejus, et ipse, utpote a jurisprudentia quoque instructissimus, causis in foro agendis ordinarie et publice adhiberetur; maluit exonerari prorsus, quam gravari ulterius onere scholastico. Vivit autem etiam nunc inter nos cum honore vir doctissimus et laboriosissimus, advocatus ordinarius et fisci et civitatis nostrae actuarius, in vegeta senecta fere septuagenarius. Et rectoratum quoque dein sibi ex causis praegnantibus saepius petierat *Weinrichius*.

Sic ergo, cum illustrissimus comes JOH. ERNESTUS, Nassovius, minorenitatis annos et tutelam egressus, circa finem anni 1684, die 25 Nov. homagio sibi subditos suos obstrinxisset, proximo post octiduo, d. 2 Decembr., a parochia Nassoviensi, quam post rectoratum Kirchheimensem, et pastorum Morschheimensem in comitatu nostro Weilburgensi, gesseram, evocavit me nihil minus sperantem, et quodammodo invitum, ad rectoratum Weilburgensem, cum prorectoratu Idsteinensis scholae florantissimae ultiro et aliquoties oblato animum potius addixisset. Aegre patiebatur ecclesia Nassoviensis, cipi sibi pastorem suum; sed frustra supplicabat condoninis suis,

et cum non concederetur mihi, manere inter dilectos mihi Nassovios, male-
bam ipse scholam accedere Idsteinensem, quam Weilburgensem, quarum
utraque affirmabat, priorem se fuisse in me vocando. Unde collisione qua-
dam nata vocantium, quorum uterque meus Nassoviae erat condonus,
mora injecta est discessui meo, ut praeter omnem culpam prid. demum Cal.
Augusti Anno 1685 venirem Weilburgum, ubi interim aliqui discipuli di-
lapsi fuerant, aliqui ad studia obtorpuerant, nescio qua tristi scholae vicis-
tudine, ut vix invenirem in ea, quibuscum latino labio colloqui possem
eujus quidem rei specimina aliquot ridicula etiamnum recordor. Erat ergo
vix unus et alter, cum quo ultra grammaticalia progredi poteram, unde tan-
tum non ab initio tela miki redordienda fuit. Et ne suayi otio indormirem,
jam satis cautum erat, cum ultra anni spatium rector, conrector et cantor
et omnia tresque essem, donec ostenderem dominis superioribus, non posse
scholam iterum emergere, si cogerer porro tirones lectionem et scriptionem,
et simul provectiones musicam, latina, graeca poësinque docere. Tandem
ergo post anni decursum anno 1686 nactus sum collegam *Io. Henr. Krui-*
lium, [filium *Krulii*, pastoris Hervordiae, dein inspectoris Homburgi] Hom-
burgi ad montana natum, qui quum post triennium prope Weilburgum ad
parochiam Solitariensem (Selters) vocaretur, [postea in ducatu Birkenfeldensi
prope Landaviam promotus] substitutus ei est *Joh. Lud. Conrad Hindius*,
Merlavia-Hassus, affinis meus, qui in aedibus meis concorditer tecum cælebs
vixit, et laboriose ac fideliter manum admovit operi scholastico, in decimum
usque annum, donec Welterodae in praefectura Nassoviensi pastori consti-
tuto succederet. Post aliquantulum iterum moram *M. Joh. Nicol. Langs-*
dorff, Weilburgensis Nassovius, meus olim discipulus, Rostochio evocatus,
qui, post conrectoratum fere octennio gestum, jam rectoratu fungitur in vi-
cina nobis civitate imperiali, Wetzlariae. Ceterum quum supra laudatus
Weinrichius, pastor Weilburgensis civitatis, per annos 57 meritissimus A.
1705 tertio Id. Martii catarrho suffocativo ad beatos coelites evocatus esset,
idemque, qui me hue gratiore vocaverat, comes illustrissimus Nassov.-Weil-
burgensis (jam quidem Caesareae majestatis et simul Electoris Palatini se-
renissimi supremus campi Mareschallus et Electoralis Palatinus consiliarius

intimus et aulae praefectus, et praeses consilii aulico-bellici secretioris, nec non circuli Rhenani superioris imperator bellicus supremus, eques ordinis S. Huberti) biennio fere post ad pastoratum Weilburgensem me vocaret, juberetque simul rectoratum continuare, circa initium anni 1707 novi collegae mihi cooptati sunt, *Io. Andreas Lieberich*, *Butisbaco-Wetteravus*, proreector et symmystes Weilburgensis, e principatu Usingensi a Grevenwissbacensibus, quos inter cum officio scholastico Diaconatu per septennium functus erat, quiique cum Ober-Rosbacensibus in Wetteravia extorserant, ad nos evocatus, aegre vero a principe suo dimissus; et *Phil. Lud. Theophilus Geiler*, *Cubacensis Nassovius*, corrector, meus olim discipulus. Cum quo utroque collega exoptatissimo suavissima concordia per Dei gratiam vivo, eaque qua possumus laboriositate et industria et dexteritate junctim manus admoveamus plantandis vitibus novellis in vinea Domini. Et ipse quidem, dum haec scribo, ante octiduum clausi vigesimum sextum, et inde vigesimum septimum ago rectoratus mei Weilburgensis annum; credidit enim, nec sine re, illustrissimus scholae nutritius, obstare incrementis scholarum multiplicem eorum, qui scholis praesunt, mutationem; quam ut amoliretur, salarium rectoratus gratiose auxerat. Et ingratus forem, si inficias irem, benedixisse Deum hactenus laboribus nostris, quamquam ratio loci nostri et viciniae obstat, quo minus discipulorum coetus evadat numerosus admodum. Claudimur enim ab oriente Gissensi districtu, ex quo parentes liberos suos ad paedagogium Gissense mittunt, et mittere jubentur; et Wetzlaria, quae Lutheranam et sub Jesuitis pontificiam etiam scholam fovet; et Solmeiano comitatu, qui religione a nostro dissidet; a meridie vero Francofurto et principatu Usingensi pariter et Idsteinensi, ubi inquiline suae sunt in patria scholae, quas non facile datur praeterire, et dudum quoque sub *Gaertnero* b. m. Idsteinense Gymnasium ita inclarerat, ut peregre etiam discipulos frequenter alliceret. Ab occidente vero Limburgum et Trevirensis est dioecesis, a septentrione quoque sylva Westriaca, ubi incelae itidem a nostra religione, et, quantum ad sylvicolas, fere etiam a studio litterarum sunt alienissimi, habentesque insuper in vicinia scholas suas Limburgi, Hadamariac, Confluentiae, Sigenae, Herbornae: quamquam nihilominus ad nos quoque

ex Gissensi districtu, Wetzlaria, Francofurto, Usingensi principatu, sylva Westriaca, et oris etiam trans-Rhenanis, commigrarint et commigrent discipuli. Caeterum, quantus quantus sit advenarum numerus, Dei gratia non opus est nostratibus aliorum mittere suos, quos hic pro modulo nostrarum virium et ingenii eorum doceamus potissimum ex verbo Dei ἐπίγρωσιν ἀληθείας τῆς φατὸς εὐσέβειαν et Theologica inculcamus: ille enim labor nobis primus et ultimus est. Inde Latina, Graeca, Hebraica, Musicam, Poësin, Historica, Logica, Ethica, Politica, Metaphysica, exercemusque in vertendis et latinitate donandis germanicis novellis, conscribendis epistolis, et elaborandis chriis. Praeter haec, ex quo hic vivo, solennibus actibus declamatoriis sub finem examinum semestrium institui solitis, memoriter habitae sunt orationes 520 variorum argumentorum, geographicorum, historicorum, ethicorum, politicorum, theologicorum, graecae pariter atque latinae, solutae atque ligatae, carmine germanico et latino heroici, elegiaci, sapphici, iambici, phaleueii generis. Et quum loci angustia nos non caperet in ea, quae olim erat, schola, suis sumtibus ante hoc quinquennium [scil. anno 1707.] amplissimum et splendidissimum et commodissimum aedificium in usum scholae nostrae e regione aedium parochialium funditus excitavit noster illustrissimus, quem diu nobis superesse optamus, Io. ERNESTUS, qui, quum armis videatur natus, favebat tamen Musis nostris. Et haec tenus Academia Gissensis benevole exceptit, quos nostris classibus cum testimonio exemimus discipulos, ex quibus aliquantum etiam catalogum pertexere possem eorum, qui post laudabilem industriam academicam gradibus academicis Magisterii et Doctoratus exornati, aut egregia tamen, aliqui etiam professoria, eruditione instructi, vel officiis publicis funguntur insignibus, vel eadem tamen merentur candidati.

I. F. CRAMERI NARRATIO.

Hactenus vir plurimum reverendus, *Johannes Nicolaus Schlosserus* *), Saraepontanus, primum preeceptor domesticus in Ulrici Saxo apud quaesto-

*) Hujus imago inter reliquas conspicitur. (Fr.)

rem quendam Hoffmannum, deinde rector scholae Kirchheimensis Bolandiae, mox pastor Morschheimae, tum pastor adjunctus Nassoviae, postremo rector hujus scholae, et ecclesiae symmysta. Cujus de eruditione, industria, lucubrationibus, pietate, dexteritate, et summis in rem nostram litterariam per undetriginta annos meritis, locus non est dicendi plura. Ut autem vel tribus dicam, quod sentiam, docto singularis fuit, omni numero absolutus, ita ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Quid? quod tantus vir, fama ejus ad exteros delata, a Waldeccensibus, ad concionatoris aulici vices, a Saraepontanis ad ecclesiarum inspectionem, a Wishbadensibus ad parochiam, a Laubacensibus ad munus Superintendentis etc. expeditus vocatusque, posthabendis et dignitatibus amplioribus et stipendio largiore, suae mordicus adhaerere maluerit scholae, ne tum quidem dimittens scholam, quum post fata viri plur. rev. *Io. Casimiri Weinrichii*, anno septimo hujus seculi, ad munus parochiale admoveretur, alter Adamantius, laboribus aequo scholasticis ac ecclesiasticis perfungens. Quid, quaeso, erit tandem bene mereri de patria, si hoc non est? Certe *Christ. Grundmanno Heucke-Waldensi* in urnis defunctorum in republica litteraria per annum MDCCXIV. audit theologus ac polyhistor insignis. Id quod legere est in Miscellaneis Lipsiensibus Tom. IV. p. 295. Decessit MDCCXIV. d. XX. Aprilis. Funus ejus non fuit ἀξιωστον, sed lessu refertum planetuque. Non injuria. Neque enim aequo facile tanti viri jactura resarcitur, ac orbis vitreus. Certe mortem ejus non exigua consecuta est et in schola et in ecclesia commutatio. Ψῆφον λευκήν, seu calculum candidum, ei merito attribuit summe reverendus superintendentis *Io. Adamus Hasslocherus* in sermone funebri, typis impresso, in quo plura cognoscendi cupidus legat.

Pertexturo autem scholae Weilburgensis historiam ante omnia celsissimum ejusdem nutritorum habenda est ratio. Sicut enim e capite vita omnis in reliqua corporis membra descendit; ita et scholae nostrae nutritorum quisque et ejus anima est, et ipsa vita nobis carior. De celsissimo harum scholasticarum aedium conditore, illustrissimo comite, *IOANNE ERNESTO*, dictum jamjam est, sed dici nunquam satis potest. Quemadmodum ob gloriosam illam sui, quam reliquit, memoriam, *IOANNI* illi Lusitano, bonae memoriae

regi jure meritoque comparatur; sic idem ex nomine sui in litteras amoris et munificentiae ad easdem promovendas cum serenissimo Saxonie duce, cum quo commune habuit nomen, videlicet ERNESTO PRO, conferri meretur. Hic etenim aeternum celebrandis Athenaeum Gothanum prosecutus est amoris documentis. Igitur qualis Lusitanis fuit Ioannes, qualis Gothanis fuit Ernestus; talis est et fuit et erit noster IOANNES ERNESTUS.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,

Semper honos nomenque *Ejus* laudesque manebunt *).

Neque vero generosissima illa virtus, liberalitas, in bonas videlicet artes, qua non alia principe facile erit dignior, cum tanto sepulta est principe, sed in successorem dignissimum, filium serenissimum, CAROLUM AUGUSTUM, transiit. Sicuti enim certissime dicitur:

Non minor est virtus, quam quaerere, parta fueri: **)

sic ille non modo novum id a patre beatæ memoriae funditus excitatum aedificium scholæ sustinuit, et intrinsecus et extrinsecus communivit firmius, substruendisque novis liminibus roboravit, verum etiam non imprudens laboris et taedii scholastici ejusdem magistros et auxit et ornavit liberalius. Ex quo nomine ejusdem hie loci anno MDCLIII. d. VI. Id. Nov. placide defuneti memoria non minus nobis erit, quam paterna, semper auspicata, quin imo auspicatissima.

Paternarum vero avitarumque virtutum strenuus aemulus serenissimus princeps CAROLUS, patriæ pater gratiosissimus, quid nos non sperare sinit? Profecto in utroque et Marte et arte Caesar, nos jubet confidere, suae curiae ad nostram scholam tum angendam tum ornandam nihil unquam defuturum. Quo laudabilissimo in negotio peropportune summos a consiliis viros habet, qui ad liberas artes erectiore mente et liberaliore nobilissimum illud opus et consilio et re adjuvent: quo loco excellentissimum atque generosis-

*) Cf. Virgil. Ecl. V, 76 sqq. (Fr.)

**) Cf. Ovid. Art. A. II, 45. (Fr.)

simum *De la Potterie*, principalium collegiorum omnium praesidem gravissimum, nominavisse nunc sufficiat. Qua ex re quam pretiosa nobis sit tantorum Maeccenatum salus diuturna, quam curae cordique nobis sit perennis eorundem incolumitas, quam frequentes devotaeque nostrae sint preces de conservando illo Nassovico cimelio, rei publicae nostrae validissimo praesidio, imo vero externorum, quotquot celsissimum principem cognovisse contingit, omnium deliciis, ad Deum T. O. M., qui ut annuat etiam atque etiam rogamus, nemo erit, quin intelligat. Ne vero quid dissimulem, (qui enim facere possem, ut eximiam ac prorsus singularem gratiam serenissimi nostri principis CAROLI, patriae patris clementissimi, tacito premam pectore?) idem ille almus ecclesiae custos, et scholarum curator fidelis, quum statim ab initio regiminis sacerdotii spem impleret, adjiciendo pro ratione muneris aliis L., aliis XXXX., aliis XXX., mihi nihil tale cogitanti primas partes attribuit. Sed ne hac quidem contentus propensae voluntatis declaratione, etiam (quod praefiscine dixerim et absque invidia!) ex sua ipsius capsula, quam vocant, seu propriis facultatibus, me insuper centum florenis et se-decim lignorum mixtorum orgyiis locupletatum voluit, mactatumque gratiosissima pollicitatione de me promovendo.

Sed redeat, unde aberraverat, oratio. In locum beate defuncti *Ioannis Nicolai Schlosseri* surrogatus est vir adm. rev. *Ioannes Andreas Liebrickius*, Butisbacensis, qui a Graevenwisbacensium diaconia et schola ad hanc nostram eodem, quo fuit initiatu anno, septimo scil. praesentis seculi, proreector et symysta vocatus successit desideratissimo suo collegae, et necessario amicissimo *Schlossero*, scholaeque rector praefuit per biennium, demandata anno decimo sexto mense Quintili Kirchheimensium Bolandiae parochia, graviore levatus jugo. Quem suus excepit civis, vir plurim. rev., *Ioannes Fridericus Hesiuss* *), qui quarto post anno, nimirum vigesimo hujus seculi, Weinbacensium pastor vocatus, inde post septem annorum spatium Usingam promotus parochus, idemque aulae ecclesiastes fato concessit anno MDCCCLII. Inde vero vergente anno hujus seculi vigesimo partes rectoris capessivit et explevit vir

*) Imago ejus etiam nunc extat. (*Fr.*)

plur. rev., *Phil. Casimir Schlosserus* *), ecclesiae hujatis pastor vigilantis-simus, concionator aulae spectatissimus. Cujus studii in decurrido strenue per annos septendecim stadio scholastico memoria cum et recentior sit, et plurimorum alta reposita mente, et mea in dicendo paupertate multo super-iор, summam modo vitae ejus dicendo attingemus. Divina illa, cui se comi-serat totum, manus fuit, quae eum a septenni generosissimorum Gemmin-gorum cum laude administrata ephoria primo ad scholam obeundam Wetz-lariam deduxit, quae iterum vero brevi post tempore, nimirum non amplius uno anno et dimidio, admirandis viis, ad patriam et scholam et ecclesiam reduxit, quae ipsum honoribus concionatoris aulici auctum ornatumque in-tegro adhuc decennio in pulvere scholastico detinuit, quae tandem post fata viri plur. rever. *Henrici Dorothei Hessii*, primum Cubacensium pastoris, tum ab anno vigesimo septimo parochi hujus civitatis, eum stationi huic va-cuefactae admovit, in qua fidelissimus vigil sacras servavit vigilias annos ferme viginti, ipso et mense et die Augusti anni quinquagesimi octavi praesentis seculi per angusta evectus ad augusta. In locum domini *Schlosseri* serenis-simus princeps *CAROLUS AUGUSTUS* vocavit me ecclesiae symmystam et scho-lae rectorem, *M. Johannem Fridericum Cramerum* **), Idsteinensem, anno MDCCXXXVII. mense Septembri. Dominica XVI. p. S. Trin. habito a me sermone sacro super evangelium ordinatus sum assistantibus viris plur. rev., domino concionatore aulico *Schlossero* et *Johanne Conrado Steinio*, pastore Cubacensium, vocato circa id temporis ad inspectionem ecclesiarum et pa-rochiam Nassoviam, a viro summe reverendo *Philippo Casimiro Weinrichio*, praeceptore meo in gymnasio Idsteinensi, summopere devenerando, eodem-que posthaec socero dilectissimo. Incidi singulari quodam Dei immortalis favore in lactissima tempora, Musisque faventissima. Consuluit rei familiari rectoris celsissimus scholae nutritor, *CAROLUS AUGUSTUS*, voluitque 1743 rectorem non minus mereri stipendum, quam alium verbi divini ministrum, novo gaudentem salario. Inde est rector vel *C. fl. auctus*. Prospexit etiam

*) Neque hujus imago desideratur in poecile nostra. Cf. etiam *Eichhoff*. I. l. p. 70. (Fr.)

**) Est ejus imago in poecile nostra. (Fr.)

honori, quo rector pro annorum ratione civitatis pastori aequatur. Sedebat eo tempore ad clavum imperii doctissimi Suevi, dominus *Georgius Fridericus de Scheid*, cancellarius, et hujus gener, dominus *Hieronymus Henricus Hinckeldey*, consiliarius regiminis; qui, ut Musis favebant, an et hoc scho-
lae magistrum augendi ornandique consilium dederint adjuverintque, nescio. Accessit ad felicitatem hanc alia non minor. Post fata serenissimi principis *CAROLI AUGUSTI* serenissimus ejus filius heres, *CAROLUS*, omni cogitatione ferebatur in salutem reipublicae. Praetore utebatur generosissimo *Carolo de la Potterie*, qui ejus studia in exteris terris, in primis Lausannae, fuerat moderatus. A tanto viro jussus ampla de amplificanda re scholastica consilia dedi, ex potissima parte non irrita. Caput id erat, ut prorector constituatur, qui tum institutionem, tum disciplinam unitis cum rectore viribus adjuvaret. Obtigit sic mihi anno **MDCCLIII.** medio collega prorector, idemque frater affinis amicissimus, compater aestumatissimus, *Philippus Casinirus Weinrichius* *), eodem tempore ad compastoratum seu diaconatum ecclesiae hujus vocatus. Excepit eum, quum ipse domino *Phil. Cas. Schlossero*, in pastoratu, ineunte hoc anno **1759**, sucederet, ipsius affinis, dominus *Johannes Philippus Ostertagius*, de quo plura inter correctores.

Inter correctores idem ille, enjus jam meminit *Schlosserus*, denuo mihi commemorandus venit vir admodum rev., *Philippus Ludovicus Theophilus Geilerus*, qui, per integrum octennium corrector, in Essershauseensem evasit parochiam, qui tanquam jubilaeus minister publicus, cui nulla dies abiit, quin linea ei lecta sit, (ita humaniora etiam senectutem oblectant) nostro vegetus adfuit examini autumnali anni **MDCCLVII.**, quo memoria semisecularis scholae conditae celebatur hilariaque agebantur; testis *αὐτόπτης* corum, quae pro cathedra a me rectore meisque declamantibus discipulis dicebantur. Placide obiit, imo placidissime, natus annos **LXXV.** cum dimidio, **A. R. S. MDCCLX. d. XXIV. Junii feria Io. Baptistar.**

Grammaticam didicit multos docuitque per annos,
Declinare tamen non potuit tumulum.

*) Hujus quoque imaginem habemus. (*Fr.*)

Exemplo oppido raro nepos *Io. Gottfr. Steinius*, Rechtenbacensis, optimae spei ac indolis adolescens, avi parentavit memoriae in examine scholae, dicens de iis, quorum sit parentare. Cujus locum occupavit in hac schola anno quinto decimo vir adm. rev., *Io. Gottfredus Appelius*, Palaeo-Kirchen-sis, hinc duobus post annis ad Neokirchensem sacra procuranda dimissus. Huic digresso surrogatus est vir adm. rev., *Io. Harthmuth Schlosserus*, Gemündus-Westerburgensis, qui, post exantatos scholasticos labores, septem spatio annorum et quod excurrit, ecclesiae sacerdos Kerzenheimensis ad Jovis montem, jam Zippersfeldensem curam agit animarum, cuius non minus quam antecessorum sacros, quos obeunt, labores, lumen ille pater alius faustis prosperet successibus! Tandem anno vigesimo quinto spartam hanc correctoris adiit et ornavit tres annos vir admodum rev., *Io. Ernestus Eichlerus*, hujas, post pastor Weinbacensem, A. O. S. MDCCLIV. vigilia divi Jacobi fatis beate defunetus. Requiescat in pace! Inde partes correctoris delatae sunt viro adm. rev., *Joh. Nicol. Kurzio*, Weilburgensi, anno MDCCXXVIII. tempore verno et ab eodem expletæ per annos triginta, exemplo oppido raro, quum plus simplici vice tanto temporis spatio parochiae nunc huic nunc illi admoveri potuisset. Id quod evenit tamen ad ultimum ea, quam petiverat, parochia Udenhausensi et Salzbutensi in praetura Cleebergensi (unde anno MDCCCLX. Septembri adm. rev. *Carolo Francisco Greif-fenbergio*, Langenbacensem pastori per annos fere XXIII. certe vigilantisimo, ita, ut petivit, successor obtigit) impetranda, ubi eidem in sacro munere divinos appreciamur successus, animum in tanta commutatione aequum et erectum, vires integras et vitae suave consortium. Dominum *Kurzium* exceptit Dominus *Joh. Philippus Ostertagius*, qui ipse petissima vitae suae his verbis descriptis: »Secundus ante Cal. Jun. i. e. d. XXXI. Maji anni P. C. N. MDCCXXXIV. attulit mihi natalem, *I. P. Ostertagio*, pastore Idsteinensi Consistorialisque conventus ibidem assessore, et Susanna Elisabetha, *I. W. Willkühnii*, pastoris quandam Bierstadiensis, filia, parentibus. Ad sextum usque aetatis meae annum educatione eorum enutritus, primisque quasi Christianismi lineis imbutus, disciplinae Gymnasii Idsteinensis, anno XXXX. nomen dalsam. Calligraphiae atque Arithmetices initiis, quae *I. C. Molitoris*,

tum temporis meritissimi collaboratoris, nunc vero a secretis aerarii ser. **Principis Nassovio-Usingensis**, debeo institutioni, latina sacrasque religionis veritates meritissimo Conrectore **P. I. Ramspottio** duce jungebam. Per sex annos hisce initis inhaerens, ad classem, quam primam vocant, promotus, institutioni eum **I. M. Wenkii**, proreectoris, tum **M. I. M. Stritteri**, Rectoris gymnasii, cuius singularem erga me amorem atque in erudiendo animo meo industriam vix enarrare possum, tradebar. Discedentem Idsteina **Wenkium** gymnasium lugebat, lugebam et ego, vix per semestre aestivum amantissimi praeeceptoris eruditionem expertus. Vices viri egregii per aliquot hebdomas gerebat vir doctrina pariter et sermonis elegantia ac suavitate immortalis, **I. S. Kochius**, ecclesiae Idsteinensis quondam Diaconus, nunc vero ἐν ἀγίοις. Viros hosce egregios sequebatur **I. A. Stiehlus**, vir et ipse egregius, praeclareque de me per VI. fere annos meritus. Hoc duce linguarum, quas dicunt, orientalium notitiae operam praecepue navavi, privataque ejus subinde institutione, quod grata mente praedico, fui imbutus. Ad superiorum, quos exemptos vocant, ordines tandem traductus, **S. R. Antistitis D. I. C. Langii***), νῦν ἐν τοῖς ἀγίοις, philosophicis theologicisque, praesertim iis, quibus de theologia innumeris, quae maximam sane ingenii aciem tanti viri spirant, disseruit, interfui lectionibus. Duodecim annis in alma Idsteinensium Musarum sede consumtis, redeunte anni **MDCCLII.** vere, ad doctiores Athenas, Jenenses nimirum, profectus ad theologicas imprimis philosophicasque scientias adplicui animum.

Praeceptoribus usus sum in Theologia ven. **I. G. Walchii**, **I. Steph. Müllero**, **I. A. Zicklero**, ac praecepue **I. A. Reuschio**, cel. Jenensium Philosopho ac theologo. Duces in Philosophia et mathematicis artibus habui **Dariesium**, **Hambergerum**, **Succovium**, ipsumque, qui ita pulcre jungit Theologiae philosophiam, cel. **Reuschium**. Inclinato jam in aestatem vere **A. MDCCLV.** revertenti in patriam hoc mihi potissimum visum est, ut praeepta homiletica,

*) Cf. quae de hoc yiro disputantur ab **H. Doeringio** in Museo (die gelehrten Theologen Deutschlands; Neost. ad O. 1838.) T. II. p. 256 sqq. T. IV. p. 346 et a **Striedero** in Hess. Gelchrt. Lex. T. VII. p. 405 sqq. (Fr.)

quae Jenae hauseram, pro suggestu magis mihi familiaria redderem, adque usum traducerem. Avidissime hinc occasionem, quam nancisebar, arripiens viri rev. cognati *I. B. Zollmanni*, Pastoris Bechtheimensis, apoplexia quadam enervati, vices in concionando pro virium mearum qualicunque mensura per IX. hebdomadas explebam. Huic negotio intentum viri s. r. *I. C. Langii* litterae commendatitiae Giessam avocabant. Per nonnullas hic diei horas institutioni *G. W. a Loewenfeld*, viri generosissimi a Loewenfeld, qui munus legati tribuni apud legionem, ut ita dicam, Giessensem obibat, unice filii vacabam, reliquas diei partes scholis theologicis ven. *Pfaffii* mathematicisque cel. *Boehmii* frequentandis impendebam. Vere anni LVII. vero ineunte parentis optimi litterae ob nuptias sororis, quae suavissimam mihi affinitatem et amicitiam conciliavere, alma me avocabant Ludoviciana, quo solitudinis ejus seu, ut potius dicam, orbitatis quodammodo essem solarium atque auxilium. Nec hoc cum patre optimo suavissimum diuturnum satis fuit contubernium. Vix enim immedicabili paene illi vulneri, quod incauto infastique scalPELLi ietu manui ipsius secundum tendinem inferebatur, cicatrice obducta, clementissimi numinis fata ab amantissimo patre patriaque simul me avellebant, adque Weilburgenses sedes commigrare jubent. Serenissimus nempe Nassoviae-Weilburgensem princeps, *CAROLUS*, dignum me judicavit, qui in collegium scholae Weilburgensis cooptarer. Meum itaque esse judicavi, ut fato ducenti ac divino morem gererem, idque eo libertius feci, quum plane semper mihi omnia ista animo reputanti singulare videatur atque incredibilem afferat laetitiam, eandem nempe collegii speciem, quae ante XXX. annos inter parentes, *Cramerum Weinrichiumque* beatos, meumque superstitem patrem obtinuit, in filiis, si modo Idsteinae Weilburgum substituas, revirescere quasi atque instaurari. « Hic dominus *Ostertagius**) quum pro suo merito ad altiora mox promoveretur, et prorectoris provinciam una cum partibus symmystae non invitus susciperet, successorem habuit Dominum *Gottlieb Ernestum Finlerum*. Uterque, tum prorector, cum conrector,

*) Reliqua ejus vita narratur in praefatione operum minorum (gesammelte Schriften. Sulzb. 1810). (Fr.)

publice in scholam sunt introducti a summe rev. Superintendente et Scholar-
cha *Arnoldio IVüstenfeldio* postridie Cal. Aprilis anni **MDCCLIX**. Ambo
post habitam a me orationem in memoriam principis philosophorum, *I. P.*
Reuschii, orationes habuerunt in examine vernali inaugurales, ille de scho-
lis realibus, hic de flore scholae.

ALBUM PRAECEPTORUM.

I. RECTORES.

- 1) M. Jac. *Syringus*, 1542. cf. supra p. 15.
- 2) M. Jac. *Charisius*, 1545—1560. cf. supra p. 12. 15.
- 3) M. Erasm. *Reinhard*.
- 4) Conr. *Heisterus*, 1563—1576. cf. p. 14.
- 5) M. Alb. *Frensius*; cf. p. 15.
- 6) M. Conr. *Fliccius*, 1597. cf. p. 14.
- 7) M. Phil. *Stippius*, cf. p. 14.
- 8) Med. Dr. Henr. *Noldius*, 1608. cf. p. 15.
- 9) Io. Phil. *Faber*; cf. p. 15.

*) Hoc album a *Cramero* confectum, quamvis nec nomina nec anni satis ubique constarent, a me correctum ponere, aliisque supplendi emendandique materiam præchere, quam prorsus omittere malui. Optamus enim et speramus fore, ut *Vogelius*, V. Cl., illi, quam a. 1813 edere coepit eruditorum hominum, quos Nassoia sive habuit, sive ipsa tulit, quasi quandam pinacothecam, conjuncta multorum opera usus mox reliqua volumina addat, et, quidquid memoratu dignum videri possit ex antiquitate, cuius ipse unus omnium est peritissimus, ad posterorum usum ac delectationem colligat. Facile autem socios inveniet operis laudabilis, non solum eos, qui societati historicae Nassoicæ nomina sua dederunt, sed etiam ecclesiae utriusque patriæ doctores et ludorum literariorum magistros, et quoscunque harum rerum optimarum amatores, in aliis recipublicae administrandæ partibus constitutos. — Ego vero præceptorum nomina ad annum hujus saeculi XVI deduxi. Postea enim gymnasium Weilburgense, nova orta terrarum Nassoicarum forma, cum, quem etiam nunc habet, locum obtinuit. De quo quae alios scire velle intellexisse, exposui secundo volumine ejus libri, cuius mentionem feci supra p. 6. annot. **. Fuisse autem ab initio evidentur, ut aliarum, ita hujus scholæ, præceptores duo, rector et cantor; postea aucto cum incolis loci discipulorum numero, additus conrector, tum prorector, denique etiam collaborator. (Fr.)

- 10) Io. Casim. *Steinmetz*; cf. p. 15.
- 11) Guil. *Hellius*; cf. p. 15.
- 12) Io. Reinh. *Medicus*, 1648. cf. p. 15.
- 13) Conr. *Schlüterus*, 1650. cf. p. 16.
- 14) Ioa. *Chytraeus*, 1654. cf. p. 16.
- 15) Henr. Christoph. *Kirchner*, 1655. cf. p. 16.
- 16) Ioa. Henr. *Wrexius*, 1656. cf. p. 16.
- 17) Ioa. Casp. *Georgi*, 1662. cf. p. 16.
- 18) Ioa. Dav. *Hellius*; cf. p. 16.
- 19) Ioa. Cas. *Weinrich*, 1667. cf. p. 16 sq. 18.
- 20) Ioa. Nic. *Schlosser*, 1685. cf. p. 12. 17. 18. 20. sq.
- 21) Ioa. Andr. *Liebrich*, 1714. cf. p. 25.
- 22) Ioa. Frid. *Hess*, 1716. cf. p. 25.
- 23) Phil. Cas. *Schlosser*, 1720. cf. p. 25 sq.
- 24) M. Io. Frid. *Cramer*, 1737. cf. p. 24 sq.
- 25) Io. Phil. *Ostertag*, 1761. cf. p. 25 sq.*).
- 26) Io. Ant. Phil. *Schellenberg*, 1776—1816**).

*) Hic Ratisbonam a. 1776 vocatus est gymnasii academicus professor, ibique diem suum obiit a. 1801. Imaginem ejus in caeteris desideramus vehementer, cum ut lacunam possimus explere, tum propter hominis famam. (Fr.)

**) Vitam suam ipse breviter scripsit, insertam programmati a. 1815. (cf. p. 8. annot. *) p. 23 sqq. Diem supremum obiit a. 1816, quum inde ab a. 1800 principi seren. in consistorio eccl. simul fuisset a consiliis. Imago ejus exstat in aula, quae dicitur, gymnasii. — Successit a. 1817. Christ. Guil. Snell, Philos. Doct., ex rectoratu scholae Idsteinensis, in praefecturam gymnasii Weilburgensis novo modo instituti, simulque fuit Duci Ser. a consil. schoł. sup. usque ad a. 1828, quo post L fere annos in muneribus scholasticis consumtos in otium secessit honorificissimum, et a. 1834 aquis Mattiacis placide exspiravit annum aetatis agens octogesimum. Cf. quae ad memoriam ejus colendam dicta sunt in libro a me a. 1835 edito »Beiträge z. Kenntniss d. Herzogth. Nassau, Vol. II. P. I.« cui peculiaris index est: »Andenken an C. W. S.« Imago, quam habet aula gymnasii, debetur laudabili eurae corum virorum, qui res nostras administrant in collegio reipublicae regendae. (Fr.)

II. PRORECTORES.

- 1) Ioa. Andr. *Liebrich*, 1707—1714. cf. p. 19.
- 2) Phil. Cas. *Weinrich*, 1755. cf. p. 25.
- 3) Io. Phil. *Ostertag*, 1759. cf. p. 28 sq.
- 4) Henr. Mart. Godof. *Koester*, 1761*).
- 5) Io. Ant. Phil. *Schellenberg*, 1773. cf. p. 51.
- 6) Frid. Aug. *Rimrod*, 1776**).
- 7) Io. Christ. *Keck*, 1779***).
- 8) Ern. Phil. *Hermann*, 1792†).
- 9) Geo. Em. Chr. Theod. *Müller*, 1795††).
- 10) Philos. Dr. Nic. Godof. *Eichhoff*, 1800—1816†††).

III. CONRECTORES.

- 1) Io. *Orthius*, 1550. cf. p. 12.
- 2) Pet. *Weilnau*; cf. p. 15.
- 3) Bernh. *Reimerus*; cf. p. 15.
- 4) Barthol. *Bergner*, 1548. cf. p. 15.
- 5) Phil. *Bier*, 1560. cf. p. 15.
- 6) Mich. *Pausus*, cf. p. 15.

*) Gundersheimensis; a. 1773 abiit historiae professor vocatus in academiam Giessensem ibique obiit a. 1802. Cf. *Striederi Hess. Gelehrt. Lexic.* Vol. VIII. p. 243. (Fr.)

**) Hannoveranus, et postea a. 1780 scholae Wetzlariensis praceptor, mort. a. 1808. (Fr.)

***) Langensalzae in Saxonia natus; postea verbi divini minister in pago Dannenfels circuli Kircheimensis ad montem Iovis, ubi mortuus est. (Fr.)

†) Allendorfensis; diem obiit suum a. 1793. (Fr.)

††) Vivit etiam nunc aquis Mattiacis, a. 1828 factus episcopus evangelicae terrarum Nassoviensium ecclesiae; quum inde ab a. 1800 Weilburgi Superintendens, ab a. 1817 Superintendens, ut vocant, generalis fuisse ac Theol. Dr. Natus autem est in oppidulo Loehnberg. (Fr.)

†††) Francofurtanus; a. 1817 constitutus est primus professor novi gymnasii, et a. 1830 post XL annos laudabiliter in munere consumtos recessit in otium, honestissima consil. schol. sup. appellatione et plena mercede annua a Duce Ser. ornatus. Cf. libri supra p. 6. annot. ** allati Vol. II. p. 90 sqq. (Fr.)

- 7) M. Eberh. *Hesperger*, 1603. cf. p. 15.
- 8) M. Henr. *Eberhardi*, 1615. cf. p. 15.
- 9) Io. Sim. *Cremer*, 1654. cf. p. 16.
- 10) Io. Casp. *Georgi*, 1660. cf. p. 16.
- 11) Io. Cas. *Weinrich*, 1664. cf. p. 16 sqq.
- 12) Io. Burch. *Müller*, 1667. cf. p. 16 sqq.
- 13) Io. Henr. *Krulius*, 1686. cf. p. 18.
- 14) Io. Lud. *Conr. Hindius*, 1691. cf. p. 18.
- 15) M. Io. Nic. *Langsdorf*, 1699. cf. p. 18.
- 16) Phil. Lud. Theoph. *Geiler*, 1707. cf. p. 19. 25.
- 17) Io. Godof. *Appelius*, 1715. cf. p. 26.
- 18) Io. Harthmuth *Schlosser*, 1717. cf. p. 26.
- 19) Io. Ern. *Eichler*, 1725. cf. p. 26.
- 20) Io. Nic. *Kurzius*, 1728. cf. p. 26.
- 21) Io. Phil. *Ostertag*, 1757. cf. p. 26 sqq.
- 22) Gottl. Ern. *Fimler*, 1759. cf. p. 28 sq. *).
- 23) Ern. Cas. *Greifenberg*, 1759 **).
- 24) Io. Ant. Phil. *Schellenberg*, 1769. cf. p. 31.
- 25) Frid. Guil. *Greifenberg*, 1775 ***).
- 26) Ern. Phil. *Hermann*.
- 27) G. E. Ch. Th. *Müller*, 1792. cf. p. 32.
- 28) Nic. God. *Eichhoff*, 1795. cf. p. 32.
- 29) Philos. Dr. Io. Phil. *Krebs*, 1800 †).

*) Mortuus est in parochia Weinbacensi. (*Fr.*)

**) Obiit in parochia Wissmariensi prope Atzbach. (*Fr.*)

***) Obiit in parochia Cubacensi. (*Fr.*)

†) Anno 1817 novi gymnasii professor secundus, a. 1830 primus. De vita et scriptis ejus vid. quae ab ipso referuntur secundo volumine ejus libri, quem supra p. 6. annot. ** minavi, p. 120 sq. (*Fr.*)

IV. COLLABORATOES.

- 1) Io. A. Ph. Schellenberg, 1765. cf. p. 52.
- 2) Fr. Phil. Greifenberg, 1769. cf. p. 55.
- 3) Phil. Reinh. Koehler, 1775*).
- 4) Lud. Alex. Theod. Weinrich, 1785 **).
- 5) G. E. Ch. Th. Müller, 1790. cf. p. 52.
- 6) Car. Christ. Heubach, 1791 ***).
- 7) N. G. Eichhoff, 1792. cf. p. 52.
- 8) I. Ph. Krebs, 1795. cf. p. 55.
- 9) Io. Geo. Schellenberg, 1800 ****).
- 10) Fr. Schapper, 1802 †).
- 11) C. Rittersbacher, 1805 ††).
- 12) Io. Phil. Sandberger, 1812 †††).
- 13) Phil. Schellenberg, 1816 ††††).

*) Obiit in parochia Reichelsheimensi. (Fr.)

**) Postea in parochia Klein-Rechtembach superintendens circuli Borussici Wetzlariensis, mort. a. 1850. (Fr.)

***) Ab Heynno Gottingensi commendatus. Vid. *Heubachii* epistolam ad *Schützium* Halensem a. 1792 Weilburgo missam et editam nunc in vita *Schützii* a filio conscripta (Hal. 1854) Vol. I. p. 173 sq. Postea H. gymnasii Grunstadtensis fuit conrector, et Cruenaci, ubi mortuus est, Musis relictis ad Themidis castra transiit. (Fr.)

****) Io. A. Ph. Schellenbergii filius, eodem modo ad Themidis castra traductus obiit Weilburgi. (Fr.)

†) Nunc in parochia Niedercleen circuli Atzbacensis. (Fr.)

††) Nunc in parochia Eppsteinensi. (Fr.)

†††) Vitam suam ipse breviter narravit ejus libri, quem supra p. 6. annot. ** memoravi, vol. II. p. 123. (Fr.)

††††) Io. Ant. Phil. Schellenbergii filius, postea scholae realis Weilburgensis praceptor, tum paedagogii Hadamariensis prorector, nunc seminario lüdimagistrorum Idsteini praefectus. (Fr.)

